

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Paradoxa quaedam theologica

**Fabricius, Johann
Büsch, Georg Engelbert**

Helmstadii, 1698

urn:nbn:de:bsz:31-102672



Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.
65120

Q. D. B. V.
PARADOXA
QVÆ DAM
THEOLOGICA
PRÆSIDE
IOHANNE FABRICIO
D. ET P.P. ATQUE H.T. DECANO
A. D. XXII. OCTOBR.
PVBLICE DISPVVTANDA PROPONET
GEORGIVS ENGELBERTVS
BÜSCHI VS
NORDA - FRISIUS ORIENT.



HELMSTADII,
Typis Georg Wolfgangi Hammii, Acad. Typogr.
A. C. M DC, IIC.

6 am Gym 211

PARADOXA THEOLOGICA.

Religio, civilis societatis vinculum est, & non est.

Religio, civilis societatis vinculum est, quia amota reverentia divini Numinis, homines natura sua ad nocendum aliis proclives, patis, quæ, mutuæ securitatis causa, in civitatibus inita fuerunt. posthabitatis, occasione oblata, opprimere se invicem non verituri essent, quum sublato imperio civili, nihil sit, quod in terris metuere habeant. *Et non est*, quia societas primum non religionis causa fuerunt institutæ. Et porro, si post conditas civitates quis maxime ab aliorum consortio remotus, vitam agat segregem, non tamen ista obligatione solitus est. Notum est etiam præterea, societas non cum ipsa generis humani origine extitisse, sed aucto illo, postea securitatis gratia institutas fuisse. Rechenberg. in Problem. polit. An, cuius regio, ejus sit religio? §, 17. 18.

Christiani sunt, & non sunt athei.

Ab Ethniciis Christiani olim habebantur & proclamabantur athei. Quibus S. Justinus martyr ingeniose concedit, se cum reliquis Christicolis, omnino esse atheos, in

A 2 quan.

) 4 ()

quantum abstineant & abhorreant ab impio deastrorum cultu; negat autem pernegatque esse atheos, respectu veri Dei, quem omnino colendum & venerandum sibi proponant. Καὶ ἐμολογῶμεν, ait christianus ille Philosophus ac martyr piissimus, in II. pro Christianis Apologia p. 56. τῶν Ιουδαίων τομιζομένων θεῶν ἄγρων ἔντας, αλλ' οὐχὶ τὰς αἰληθεστάτας, καὶ παλῆς διηγοσύνης καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἀλλων αἴρετων, αἰνεπικήλητες καὶ κυνικοὶ αἱρεῖν ταῦτα, καὶ τὸν πατέρα αὐτῶν οὐδὲν εἰλέγοντα καὶ διδάχαντα ήμας ταῦτα, καὶ τὸν τῶν ἀλλων ἐπομένων καὶ ἐξομοιώμενων ἀγαθῶν αἵρετας ταῦτα, πιεῦμεν τὸ τὸ προφητικὸν στόματον, καὶ πεօσκυτεῖμεν. Et profitemur quidem, nos talium, qui habentur, deorum esse expertes, & atheos: sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiae & castitatis, & virtutum aliarum, & ab omni uitiositate mixtione & labe alieni, expertes. Verum bunc ipsum, & qui ab eo venit, atq. ista nos, & aliorum obsequentiū exæquatorumq; (ad voluntatem ejus) bonorum angelorum exercitum docuit, Filium & Spiritum propheticum, collimus & adoramus.

Scriptura S. est, & non est perfecta.

Scriptura S. sicut omni tempore fuit, etiam illo, quo nondum omnes libri biblici extabant, ita multo magis hodie, quando integrum complexum & codicem habemus omnium librorum V. & N. T. est per se & in se sufficiens & perfecta, quippe quæ continet in se omnia dogmata fidei & morum necessaria vel explicite & expresse, seu àvloλεξεῖ & secundum literam, vel implicite, seu ita, ut haud difficulter inde erui queant ab eo, qui mediis interpretationis instructus sit, per bonam & pronam consequentiam. Hinc Irenæus, Lugdunensis in Gallia Episcopus, & Polycarpi discipulus, sub Severo Imp. martyrio affectus, l. 3. c. 1. Num

Num per alios, inquit, dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos, quod quidem tum præconia verunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostræ futuram? Eadem vero etiam non est perfecta in omnibus historicis aut ritualibus, item in libris sacris quidem, non tamen divinis & canonicis, qui olim in & sub ea comprehendebantur, postea autem perierunt, aut quod omnes in theologicis rixas & contentiones decidere possit, vel debeat. Hutter. L. C. p. 68. & 70. & Affelm. in Hept. Qq. illustr.

Eadem est, & non est judex controversiarum in spiritualibus.

Vocabulum *Judex* est unum ex illis, quæ dicuntur αὐτὸν, ab uno, & uni tribuuntur principaliter & primo, aliis autem respectu illius, & secundario, vel etiam inferiore quadam ratione. In suprema enim & principali significatione *judex* *controversiarum sacrarum* est Deus ipse; in secundaria verbum Dei scriptum, per quod ille sententiam decisivam profert: hinc etiam utile dicitur προσώπειον, ad redargutionem sive refutationem, 2. ad Tim. III, 16. in infima fideles, qui donis hermeneuticis prædicti, *judicium* illud, in *Scriptura* quasi reconditum, eruere possunt, sive sint publici Ecclesiæ Doctores, quorum munus est, non modo sanam proponere doctrinam, sed & aliorum dogmata dijudicare; sive quilibet alii Christiani, quippe qui cavere sibi debent a pseudoprophetis, Matth. VII, 15. & omnia probare, quod autem bonum est, tenere. 1. Thess. V, 21. nec cuivis spiritui credere, sed probare spiritus, num ex Deo sint, 1. Joh. IV, 1. His ita præmissis, *Scriptura* sa-

*cra est judex controversiarum in spiritualibus, improprie, analogice, & secundario, seu quatenus est norma, secundum quam judicatur: Et non est, proprie videlicet & primario: talis enim judex, ut diximus, præatoria & absoluta judi- candi potestate instructus, est Spiritus sanctus, Episcopi autem, & Doctores Ecclesiæ (ad quos etiam, si veri Episcopi mu- nere fungitur, nec illius cancellos transgreditur, pertinet Papa Romanus) aliquique fideles, ad hoc idonei, & ad Scri- pturam, atque ex ea judicantes, judices interpretativi & diaconici, quibus, quoniam judicando non modo errare possunt, sed etiam errant saepius, determinatum ac limitatum competit judicium, in quantum illud cum norma verbi divini exacte convenit, nec ab illa deflectit. Ac proinde vox & appellatio *Judex* in infimo illis gradu com- petit ac tribuitur.*

Scriptura S. est, & non est clara & perspicua.

Scriptura S. in fundamentalibus, & scitu factrique ne- cessariis punctis, pio & attento lectori christiano clara est ac perspicua, ita ut sensum ejus literalem satis bene assequi possit: nam in iis, quæ aperte in Scripturis posita sunt, ait S. Augustinus, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi. lib. 2. de C. D. c. 6. Et non est satis clara, sed potius difficilis, sublimis, & sic nobis saepè obscura, sicut de epistolis Paulinis Petrus in 2. ep. c. III. 16. fatetur, esse in iis duovinjā tva, sive quædam explicatu difficiliora. Ec- cur vero? Ad domandam (ut loco citato scribit aureolus Au- relius) labore superbiam, & intellectum a fastigio remouen- dum, cui facile investigata plerumq; vilescent. Nam ma- gnifice & salutariter Spiritus S. ita Scripturas modifieavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus fastidia de- tergeret. G. Calixt, Epit. Theol. p. 24.

Scri-

) 7 ()

*Scriptura S. est, & non est data, ut sit
canon noster.*

*Scriptura S. est data, ut sit canon, norma & regula
nostra, in rebus & fidei & morum, ita ut illa habeantur
pro credendis & agendis, quæ normæ isti congruunt, dis-
crepantia autem omnia rejiciantur. Hinc Paulus ad Gal.
VI, 16. pacem & misericordiam precatur omnibus, εστι τω
καρον τετω σοιχησθαι, quotquot juxta banc regulam, velut in
ordine militari, incedent. Eadem vero non est canon no-
ster in omnibus aliis materiis, ut physicis, mathematicis,
historicis, politicis : de his enim saepe obiter, & ad com-
munem sententiam vel apparentiam, non autem κατ' αιχη-
θεας, loquitur. Quo ipso tamen canoni vel normæ, pri-
ori sensu sumtæ, nihil decedit. Vide Gen. III, 1.; & ult. nec
non Act. XII, 15. & Raupp. in hæc loca.*

*Codices sacri, Hebreus V. & Gracus N. T. ti sunt, &
non sunt corrupti.*

*Codices sacri, Hebreus V. & Gracus N. T. ti sunt cor-
rupti, intelligendo hoc de particulari quorundam duntaxat
codicum depravatione, & de σΦδλμασ, quæ typographo-
rum incuria, correctorumque negligentia, in hujus vel illius
editionis codices irrepserunt. Sumitur autem, quod
non prætereundum, hunc in modum, terminus *Corruptum*
vel *Corruptio*, abusive, cum sic fere omnes alii libri dicen-
di essent corrupti. Et non sunt corrupti, universaliter, se-
cundum omnia exemplaria, nec in fundamentalibus ; ita
ut exactissima norma & certa regula esse possint, ad quam
omnes omnino versiones, ut rivuli ad fontem, exigi, exa-
minari, &, sicubi opus, corrigi possint ac debeant. Non e-
nim tanti momenti sunt (ait Bellarm. I. 2. de V. D. c. 2.)*

ejus-

ejusmodi errores, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ sacræ (fontis Hebræi) integritas desideretur. Plerumque enim tota discrepantia variarum lectionum in divisionibus quibusdam posita est, quæ sensum aut parum, aut nihil mutant. Et cap. VII. de Scriptis N. T. hæc ejusdem sunt verba: *Etsi multa depravare conati sunt heretici, tamen nunquam defecerunt Catbolici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiserint, libros sacros corrumpi.* Immo jure merito dixerim cum S. Augustino ex l. 2. contra Faustum Manich. c. 2. Quæ autoritas literarum aperiri, quis sacer liber evolvi, quod documentum cuiuslibet scripturæ ad convincendos errores exerci potest, si bæc vox admittatur, Scripturas (quoad credenda & facienda) esse corruptas? Glass. Philol. S. lib. I. tract. 1. & 2.

*Non minus N. quam V. T. ti Scriptura est, &
non est DEI mandato literis
tradita.*

Distinguendum est inter mandatum Dei externum, quo Deus diserte & expresse sensibilique voce aliquid prescribit & præcipit, & mandatum internum, quod æquipollit impulsui & instinctui. Illud est mandatum proprium, hoc analogicum, consistens in interna inspiratione, tractu, motu ac pulsu, sanctis Dei hominibus divinitus ictus: immo & variae hominum & circumstantiarum occasionses incitare ad scribendum potuerunt. Posita hac distinctione dicimus, quod non minus N. quam V. T. ti Scriptura sit Dei mandato, saltim interno, literis tradita; impulsus autem divinus, sive mandatum internum, & mandatum externum, in sanctis Dei hominibus æquiparantur: quid enim aliud est divinus ille impulsus, quam mandatum

tum internum & occultum, ejusdem omnino auctoritatis & ponderis cum mandato externo & manifesto? Et quod non omnis sit Dei mandato externo literis tradita, non omnis, inquam: interim Johannem Apostolum, expressum & speciale scribendi mandatum (scripsit autem in libro Apocal. non modo arcanas visiones, sed etiam ea, quae pertinent ad doctrinam evangelii & præcepta morum) divinitus accepisse, patet ex Apoc. I, 11. 19. c. II, 1. 8. 12. 18. c. III, 1. 7. 14. c. XIV, 13. c. XIX, 9. c. XXI, 5. Gerh. in Exeg. L. de Script. S. §. 24. & seqq. & Bellarm. T. I. Controv. l. 4. c. 3, p. 67.

*Auctoritas Scripturæ dependet, & non dependet
ab Ecclesia.*

Scripturæ auctoritas nihil aliud est, quam dignitas ejus manifesta, movens intellectum hominum ad assensum dictis ejus, & voluntatem ad obsequium, ejus mandatis præbendum. Jam hæc Scripturæ auctoritas spectatur vel in se & absolute, vel ut nobis innotescit, revelatur, & cognoscitur. Et dependet ab Ecclesia, tanquam explicante, respectu nostri, dum Ecclesia Scripturam, quæ divinæ auctoritatis est, nobis proponit, & explicat, (quomodo etiam auctoritas decreti Principis notificata & explicata ab interprete, dici potest ab eodem dependere, eo quod illam ex ignota in notam linguam traducit, & sensum ejus aliis repræsentat,) ac præterea de certo idiomate librorum Scripturæ, quod tanquam *grīneūcō* agnoscendum, Ecclesia primitiva, hoc est, illa, quæ tempore Prophetarum & Apostolorum floruit, & libros ab ipsis scriptos accepit, testatur, & hoc testimonio Ecclesia posteriorum temporum ntitur. Non autem dependet ab Ecclesia, sed a Deo, in se &

B

abs-

absolute si consideratur, cum dignitas & præstantia effectus a dignitate causæ unice ac plane originem trahat. Musæus in Introd. p. 554.

Puncta textui Hebræo sunt, & non sunt coœva.

Vocabulum *puncta* heic quidem non late accipimus pro vocalibus & accentibus, sed stricte, pro vocalibus solis, dicimusque adeo, illa *textui Hebræo coœva esse*, per se videlicet, & quod substantiam vocalium spectat, quibus ut nulla alia, ita nec Hebræa lingua prorsus atque omnino carere potest: sunt enim vocales vocum & dictionum anima, quæ eas vivificat, ita ut absq; vocalibus voces effiri atq; ue pronunciari nequeant. Et hinc etiam מלכין Reges dicuntur, quoniam literis, ut Rex subditis, dominantur, & regimen erga illas suum excent. Nihilo tamen minus eadem etiam *non coœva* dixeris, quod attinet expressionem, aut figuræ identitatem, qua non semper in textu aperte expressa fuerunt, aut eandem externam notam & characterem perpetuo habuerunt ac retinuerunt. Hinc & ipse Buxtorfius, qui tamen contra Lud. Cappellum punctorum antiquitatem defendere natus est, fluctuat, haeretque dubius, in Tiberiad. c. XI. his utens verbis: *An autem ipsimet viri Synagogæ magna (Haggæus, Zacharias, Malachias, Zerubabel, Mardochæus, Esra & alii) vocalium & accentuum notas primo invenerint, aut ab aliis inventas, sed in usu neglegtas, restauraverint & perfecerint, ac Masoram de iis quoque conscribi curârint, facile nec dici, nec probari facile potest.* Adde Capnionem, Münster. Drus. Dreier. in Controvers. cum Pontif. p. 142. & Luther. in Comment. in Gen. c. XXXVI. p. 532. & in c. XLVII. p. 687. In

$\ast) \sqcup (\ast$

In Graeco novi testamenti codice occurrunt, & non
occurrunt barbarismi & so-
læcismi.

Joach. Hildebrandus in Corollariis Dissertationis de Veterum Concionibus: *In novo testamento*, ait, *barbarismos & solœcismos*, prout quidem ab Augustino & Suida definiuntur, occurrere, haud in viti largimur. Est autem barbarismus S. Augustino l. 2. de Doctr. Christ. c. 13. verbum non eis literis, vel sono enunciatum, quo ab eis, qui Latine ante nos locuti sunt, enunciari solet. Ut si quis verbum *ignoscere* pronunciat producta *tertia syllaba*. Suidæ est vitium dictionis contra celebrium Græcorum aut Latino-rum consuetudinem. Solœcismus Augustino dicitur, cum verba non ea lege sibi coaptantur, qua coaptaverant, qui priores nobis non sine autoritate aliqua locuti sunt. Ut si aliquis dicat *inter hominibus*, pro, inter homines. Suidæ. sermo incongrue positus, ut illud: *Ego ambulans murus cecidit*, pro, me ambulante. Jam vero negari nequit, in *Græco novi testamenticodice* occurrere, respectu linguae Græcæ puræ, quæ in libris auctorum classicorum reperitur, vitia sive deflexiones quasdam dictionis, ite m. incongruas quasdam constructiones, quibus, qui eleganter Græce loquebantur vel scribebant, non fuissent usi. Certe ostensum est a doctissimis viris, Glassio in Philol. S. lib. 1. tract. 4. p. 233. Daunhauero in Hodosoph. p. 40. & Hermeneut. S. p. 161. Dilherro in Tomo I. Dispp. p. 299. Calovio in Crit. S. p. 453. Joh. Musæo in Disquisit. de stil. N. T. Scherzero in Synt. Theol. L. 1. de Script. §. 14. & Bœclero in Dissert. de Lingua N. T. origin, totum idioma N. T. tale esse, quod Hebrææ V. T. linguae, quam Græcæ communi,

B 2

potius

potius conveniat, seu, ut alii loquuntur, dari in eo hebraismos, adeoque & barbarismos & solœcismos : sic enim vocaret Demosthenes, aut alias bonæ notæ Græcorum, illos loquendi & construendi modos, quos scriptores novi testamenti, more Hebræorum, quales & ipsi erant, usurpare solent. Neḡs bac assertione (ut cum Hildebrando l. c. pergamus) in Spiritum sanctum blasphemiam committi censemus, dicimusq; cum Lactantio : Num Deus artifex mentis, vocis & linguae, diserte loqui non potest ? Enimvero quid est ignorantia elenchi, immo quid est criminatio, si hoc non est ? Perpendatur enim, quo respectu tribuantur barbarismi & solœcismi libris N. T. a viris nec indoctis nec impiis, quidque jam statim in altera Paradoxi parte dicatur, & cessabit tam virulenta atque intolerabilis imputatio. Nam & hoc dicimus, bonique illi viri ante nos dixerunt, non ibi occurrere barbarismos & solœcismos, respectu ipsius idiomatis Græci, quod in libris N. T. reperitur, quippe quod in se purum est, immo purissimum ; neque etiam ratione scriptorum vel auctorum, utpote qai more consueto, adeoq; non male scripserunt ; minime vero omnium, intuitu Spiritus S. qui in suggestis verborum conceptibus accommodavit se ad indolem & conditionem scribentium. Idem plane docet Scherzerus, Dannhauerum secutus, l. c. inquisiens : Potest aliquid esse barbarum in græcitate pura, quod tamen non est barbarum in græcitate ēθνικῆ, i. e. mixta, sive Ebræo Græca, vel græcaturiente filo. Et ante eos Jac. Fabricius, Hebrææ linguae Prof. Wittebergæ, in præfat. Gymnasi Syriaci Christoph. Crinesii : Ea est indoles rerum sacrarum, ut proprietas primæ lingue non solum se diffundat per veterem Scripturam, sed etiam sese insinuat in græcum novi testamenti. Vnde multis in locis N. T. græcismus, pure Grecis

Græcis est barbarismus, propter phrasin Græcis ignotam. Ecclesiæ autem non est barbarismus: agnoscit enim ea sermonem primævum, eumq; in Scripturas N. T. manare deprehendit. Et diu ante Fabricium B. Hieronymus, qui in cap. III. epist. ad Ephes. Tom. IX. p. 216. scribit: *Nos quotienscumq; solœcismos aut tale quid annotamus, non Apostolum pulsamus, ut malis voli criminantur, sed magis Apostoli assertores sumus: quod Hebreus ex Hebreis. absq; rhetorici nitore sermonis, & verborum compositione, & eloquii venustate, nunquam ad fidem Christi totum mundum transducere voluisset, nisi evangelizasset eum non in sapientia verbi, sed in virtute DEI.* Nimirum cum stylo novi testamenti Græco se res habet, ut cum aliis diversarum provinciarum idiomatibus. Sicut enim Lombardicum hodiernæ Italæ, Sabaudicum, Neapolitanum, & Siculum Romanis; Provinciale & Langue docicum Parisinis; Bavanicum, Suevicum, Franconicum Misnenibus videntur & dicuntur barbara, cum tamen in se non sint barbara, sed materna, & quodvis eorum non modo ad exprimenda animi sensa aptum, sed etiam satis ornatum; ita idioma novi testamenti græcum, aut, si mavis, græcaturiens, etiamsi puritati græcæ adsuetis βαρβαρίζειν ηλοντίζειν non immerito videatur dicaturque, in se tamen recte se habet: tantum abest, ut sic solœcismis sit maculatum, vel barbarismis.

Principium probandorum dogmatum est, & non est unum.

Sermo est de principio cognoscendi, & dogmatibus theologicis. Horum principium, idque principale & pri-
marium, non nisi unum est, videlicet Scriptura sacra cano-
nica, utpote e qua sola, omnia fidei nostræ dogmata pe-

tuntur, probantur ac deducuntur, atque ad eam omnis disputatio theologica, quæ sub lumine fit revelationis ac fiduciæ, tanquam ad fontem & centrum suum reducitur, in eaq; tandem, quum ulterius progredi altiusq; ascendere nequeat, merito subsistit... *Neg;* vero *unum*, sed duplex est illorum principium, Scriptura & Consensus patrum primitivæ ecclesiæ, qui per V. a nato Christo proxima secula flouerunt. De quo videatur Gerh. L. de Eccles. §. 204. Nam præterquam quod res aliqua e Scripturis est probata, sæpe numero ejus probatio vel confirmatio etiam ex Ecclesiæ Patribus arcessitur, e. g. quando nobis lis movetur de pœnobaptismo, solemus provocare ad Ecclesiam christianam veterem, atque sic fere argumentari: *Q.* Patres primitivæ ecclesiæ, unanimi consensu docuerunt, illud utique verum est. Infantes quoque baptizandos esse, Patres primitivæ ecclesiæ, unanimi consensu docuerunt. *E.* Vbi sane major propositio est principium eductæ inde conclusionis, sub quo & facta subsumtio. Notandum vero, quando consensus Patrum, principium dicitur, id non capiendum esse de principio principali & primario, quod Scripturam S. esse diximus, ac perpetuo confitemur; sed de principio minus principali & secundario, vel subordinato, quod a Menzero in Exeg. epilogi A. C. p. 862. *testimonium secundarium*, ab Hunnio & Gerhardo *argumentum*, a Chemnitio *fundamentum*, ab Höpfnero in Saxon. Evang. p. 185. *instrumentum & regula* dicitur; adeoque non univoce in distinctione illa vocabulum principii sumi, sed analogice: atque hanc differentiam porro inter duo illa intercedere, quod principale principium fidem divinam pariat, secundarium vero fidem tantum humanam. *G.* Calixt. in part. I. Refutat. Buscheri p. 5. & seqq. *F.* V. Calixtus in Exercit. de V-

niversa-

) 15 ()

niversalis primævæ Eccl. Auctorit. §. 26. & in Resp. ad Thes. Antisyncretist. p. 25. Carpzov. in Isag. in LL. Symbol. p. 517.

*Judæi traditione, quam Scriptura, magis, & non
magis usi sunt.*

Traditio vel significat materiam traditionum, a verbo scripto differentium, vel modum tradendi id, quod etiam scriptum est. Posteriore sensu verum est, *Judæos traditione, quam Scriptura, magis usos esse*, sicut & apud nos frequentiores sunt conciones, quam prælectiones scriptorum biblicorum. Non autem priore. Neque obstat, quod Deut. XXXII. Israëlitæ jubentur narrare filiis suis mysteria Domini: hæc enim sunt illa, quæ etiam scripta erant; uti patet ex Deut. XXXI, 23. 24. collato cum c. IV, 2. & interpretatione Apostoli, ad Gal. III, 10. Hülsem. c. 3. Proleg. Comment. in Jerem.

Moses fuit, & non fuit magus.

Moses fuit magus, voce magi sumta in sano sensu, pro sapiente, seu eo, qui in omni Ægyptiorum scientia, e. g. in numeris, geometria, universa musica, & occulta philosophia, versatissimus fuit. Qua de re consulendus Conring. de Hermet. Medic. c. 13. *Et non fuit magus*, in quantum hæc vox denotat hominem illicita & diabolica magia pollutum, & clandestinis artibus omnia perfici- entem. Cujus quidem vir sanctissimus inique poscitur a Plinio, Apuleio, Justino, aliisque scriptoribus ethnicis. Drechsler. de Mose, Sect. 2. c. 6.

*Deus nulli legi subiectus est, & tamen lege naturæ
sue tenetur.*

Deus

Deus nulli legi proprie sic dictæ, h. e. a Superiore latæ, subjectus est, quum talis subjectio majestati ejus repugnet. Attamen lege naturæ suæ tenetur, ita ut contra naturalem suam bonitatem, justitiam, & reliqua attributa, quæ ipsi quasi lex sunt, agere nequeat: Ipse enim se negare non potest, ut Paulus scribit in 2. ad Timoth. II, 13. Cum quo loco conferendum est, quod Servator dicit Matth. X, 33. & Mar. IIX, 38. Exempli gratia: Deus ex lege naturæ suæ, h. e. naturalis suæ bonitatis, non potest nobis, quippe creaturis suis, & quidem ad imaginem suam conditis, aut male, aut nihil omnino velle. Ergo saltem aliquo modo nobis omnibus bene velle, ex se ipse tenetur: licet interim inæqualiter, pro sapientia & libertate sua, hanc suam erga nos benevolentiam dispenset. Itaque in Scriptura S. dicitur bonus esse universis, Ps. CXLV, 9. etiam malis & injustis, saltem in hoc seculo, Matth. V, 45. Neque vero natura Dei aliter ferre potest: Omne enim bonum a se creatum Deus naturaliter amat, præsertim vero imaginem suam. Et proinde in quibus hanc videt, eis non potest non ea saltem velle bona, quæ ipsis ad finem, a se ipso propositum, omnino necessaria esse novit. Fabric. System. Theol. 333. Bajer. Comp. 222. & C. Vorst. part. I. Amicæ Duplicat. ad J. Piscat. Apologet. resp. p. 295.

Deus est, & non est corporeus.

*Deus est corporeus, si vocabulum *corpus* sumitur pro vera & solida substantia, quæ inani phantasmati & umbratili accidenti opponitur. Quo sensu adhibetur ad Col. II, 17. & ad Heb. X. 1. Atque ita etiam Tertullianus lib. adv. Prax. c. 7. Deum appellavit corporeum: nam in lib. de Trinit. negat, eum membra habere effigiata, ac saltim invisibile*

bile ei corpus tribuit: nec aliter hoc accipit, quam pro substantia, lib. adv. Hermog. c. 35. inque oppositione ad φύσια, & nihilum, lib. de Anima c. 7. hoc unum intendens, Deum habere essentiam veram, realem, nec umbratilem. *Et non est corporeus*, proprie & stricte, quatenus corpus spiritui opponitur, sed potius ipse est & dicitur *spiritus*, id est, essentia spiritualis, sine mole corporea. Joh. IV, 24. Brochm. L. de Deo 122. & Fabric. System. 53.

Aγέννοια est, & non est notio Patris.

Aγέννοια seu Innascibilitas est personalis notio DEI Patris: ea enim Pater nobis innotescit, & a duabus reliquis personis distinguitur, in quantum illa negat originem ab alio, quae sit vel per generationem, vel per spirationem. *Et non est notio Patris*, ut tantum negat originem per generationem. Sic enim etiam tribui posset Spiritui S. quippe qui spiratus est ac processit a Patre & Filio, ut Latina confitetur Ecclesia, sed non genitus. Unde in Dialogo I. de S. Trinit. apud Athanas. infertur: *Ita γί ingenitum esse, non est proprium Patris.* Dannh. Hodosoph. p. 186. & Scherz. System. p. 65.

Effentia divina est, & non est bonitas & justitia DEI.

Effentia divina est bonitas & justitia Dei, in sensu identico, quia attributa divina prædicantur de divina essentia & de se in sensu identico, cum ex parte rei idem sint cum essentia, & inter se. *Et non est bonitas & justitia Dei*, in sensu formalis. Sic enim e contrario dicere possum: Bonitas Dei non est justitia Dei, quia tanquam formæ distinctæ a nobis concipiuntur. Fabric. System. p. 79.

C

Æter-

*) 18 (*

*Æternitas Dei coëxistit, & non coëxistit omnibus
temporis differentiis.*

Æternitas DEI, juxta Boëthium lib. 5. de Consolat. philos. prof. VI. est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, vel, secundum alios, duratio interminabilis, indivisibilis, & independens. Atque hæc dicitur *coëxistere omnibus temporis differentiis*, præterito, præsenti, & futuro, in quantum singulæ seorsum sumuntur, & sibi mutuo succedunt, e. g. hodie coëxistit æternitas hodierno diei, cras crastino, sicut hesterno heri coëxitit. Non autem coëxistit illis simul existentibus, seu quasi illæ simul possent aut deberent existere. Quemadmodum si cœlum dicitur coëxistere hominibus, qui inde a condito mundo vixerunt, vivunt, & victuri sunt, non inferre licet, illos omnes junctim & simul vivere, aut ita vivere debere. Brochm. ibid. p. 127.

*Attributa DEI differunt, & non differunt ab
eius essentia.*

Attributa Dei differunt ab ipsius essentia formaliter, & juxta nostrum concipiendi modum: nam Dei attributa dicuntur perfectiones, quæ essentiam Dei, seu id, quod primo in Deo concipimus, nostro modo intelligendi consequuntur, atque ita Deo per modum formarum adjacentium tribuuntur, licet revera non sint accidentia, quæ dicuntur prædicamentalia. Distinguuntur autem ab essentia divina pariter & inter se, propter infinitam Dei perfectionem. Et non differunt ab ipsius essentia realiter: alioqui realis in Deo foret compositio, ex subjecto videlicet & accidentibus; qualem non admittit summa Dei simplicitas. Fabric. in System. 78. & Bajer. Comp. 191.

Essentia

Essentia divina est universale, tres autem personæ individua, & non sunt.

*Essentia divina est universale, & nominatim species, personæ autem tres, individua, ut appellat Damascenus lib. 3. de Orthod. fid. c. 4. & 6. Sed id intelligendum secundum similitudinem aliquam, eo quod natura divina, juxta modum prædicandi, sic fere communis est inferioribus si-
ve individuis suis. Nam uti dico: Abraham est homo, Isaac est homo, Jacob est homo, nec hi tres differunt spe-
cie, sed eatenus unum sunt; ita pariter dico: Pater est Deus, Filius est Deus, & Spiritus S. est Deus, & hi tres in Deitate suaviter convenient, nec discrepant. Sed & non sunt, quia species illa divina non potest multiplicari in suis individuis, nec tria individua dici tres Dii, sicuti de Abra-
hamo tamen, Isaaco & Jacobo dicere possum, eos tres esse homines. Petr. Lombard. lib. I. Sentent. dist. 19. & Fabric. System. Theol. p. 88.*

*Filius DEI semper gignitur, & semper
natus est.*

*Filius DEI semper gignitur, quia in immutabili æter-
nitate perpetuo, absque successione & innovatione ac fine-
a Patre generatur. Ad quod indicandum dicit Pater
æternus in Ps. II, 7. Ego hodie genui, vel gigno, te. Ut a-
deo generationis illius actus sit indesinens, & hac ratione
Filius Dei dici queat semper nasci, sed citra imperfec-
tio-
nem; sicut radii solares semper & incessanter, nec imper-
fecte tamen, generantur & emanant. Vnde apud Augu-
stinum legimus: Semper gignit Pater, & semper nascitur
Filius. epist. 174. Sed & semper natus est; ob permanentiam
æternitatis, & perfectionem geniti. Et hæc locutio*

C 2

magis,

) 20 ()

magis, quam illa probatur Thomæ Aquinati, & dicto Psalmi allegato etiam est convenientior. Fabric. System. 132.

*In Trinitate est alius & alius, non vero aliud,
& aliud.*

Propositio hæc est Gregorii Nazianzeni in ep. ad Cledonium, seu orat. 51. Nimis est alius & alius, quoniam una persona differt a reliquis; *Non vero aliud & aliud*, quum tria illa divinitatem habeant communem. Cui effato Scriptura S. adstipulatur, testans, *Filium alium esse a Patre & Spiritu S. Joh. XIV. 16. & tres illos esse unum*, videlicet quoad essentiam, & sic non aliud atque aliud, i. Joh. V, 7. Fabric. Syst. Theol. p. 124.

Protoplasti erant, & non erant immortales.

Protoplasti, ante statum peccati, erant corporibus suis *immortales*, secundum quid, quandoquidem per Dei gratiam sublata erat mors quoad necessitatem & actum moriendi. Et *non erant immortales*, absolute & simpliciter, seu quoad potentiam. *Potuit homo*, ut ex vero Calixtus docet in Tract. de Pactis §. 10. ita se gerere, ut necessitatem moriendi declinaret; sed & ita se gerere potuit, ut incurreret, & potentia aliquando in actum prodiret. Similiter Meisnerus in Anthropol. Sacra, IV. ponit modos immortalitatis. I. est *a se ipso*, & a nemine dependens. Et hoc modo solus Deus immortalitatem habet, i. ad Tim. VI, 16. II. est *naturalis segregatio a materia*. Et hoc modo immortales sunt Angeli & Anima rationalis. III. quum *manente materia moriendi*, *potentia cessat*. Et hac ratione Beatorum & damnatorum corpora sunt immortalia. IV. est, quum non *materia tantum*, sed & *moriendi potentia remanet*, ita tamen,

ut

ut nunquam ea aduetur, si homo rede se gerat. Atque ita immortales erant primi Parentes. Hinc etiam S. Augustinus lib. VI. de Gen. ad lit. c. 25. *Corpus Adæ*, scribit, erat mortale & immortale, ex alia atque alia causa. Mortale, quia poterat mori: Immortale, quia poterat non mori. Aliud enim est, non posse mori, sicut quasdam naturas immortales creavit Deus: aliud autem est, posse non mori. Quo modo primus creatus est homo immortalis. Quod ei præstabatur de ligno vitæ, non de constitutione naturæ. Mortalis ergo erat conditione corporis animalis; immortalis beneficio conditionis. Vid. Hildebr. Synt. Theol. c. 9. §. 27. Gläss. in Judic. de Controv. Theol. p. 42. Zanch. de Operib. VI. dier. l. 3. c. 4. q. 1 & 2.

Sancti possunt, & non possunt invocari.

Sancti, de quibus loquimur, sunt non tantum homines beate in Domino defuncti, quorum animæ, a corporibus separatae, sunt cum Christo, sed etiam Angeli in bono confirmati. Vtriusque hujus generis sancti possunt invocari, si invocatio idem est ac nuda compellatio, qua invitantur, ut pro viventibus in hoc seculo apud Deum intercedant: quamvis enim non tam certum sit, recte salutari sanctos defunctos, quam certi sumus, recte compellari vivos, (nam de hac posterioris generis compellatione habemus mandatum, promissionem, & exempla in SS. literis) tamen, quia Ecclesia antiqua ejusmodi salutationes, ex fide de beatitudine defunctorum, & charitate in Ecclesiam triumpharem profectas, probavit, nos eas simpliciter non damnamus. Sed nec facile imitamur, cum Scriptura de iis nihil habeat, & magnum periculum sit, ne in religiosas invocationes degenerent. Itaque & hoc addimus, *santos*

Kkk 3

non

*non posse invocari, seu non esse invocandos, religioso puta,
& divino cultu, & quasi largitores atque auctores donorum
spiritualium & corporalium... Dreier. in Dispp. contra
Pontific. p. 877. & Amica Tractat. int. part. apud Chytr.
in Hist. A. C. p. 243.*

Pro mortuis licet, & non licet orare.

*Pro iis mortuis, qui in fide & pietate decesserunt, licet,
semel atque iterum, ex libera devotione, orare, ut, sicut
Apostolus loquitur 2. ad Tim. I, 18. concedat eis Domi-
nus, Deus Pater, invenire misericordiam apud Dominum,
Christum, filium ejus, judicem omnium, in die illo extre-
mi judicii. Et non licet, sub opinione necessitatis, indesi-
nenter, & cum imitatione earum superstitionum, quas
antiquæ, nec a Scripturis alienæ consuetudini posteriora-
secula assuerunt. Urb. Rhegius in Form. caute loqu. c. 16.
§. II. 12. Guil. Forbes. in Consider. Controv. p. 246. Le
Févre dans les Motifs invincibles p. 309.*

*Peregrinationes ad sepultra sanctorum possunt,
& non possunt suscipi.*

*Peregrinationes ad sepultra sanctorum possunt suscipi,
historiæ, informationis, memoriæ & cognitionis ac pru-
dentiæ alicujus gratia, & si vocationis debiro per eas
nihil decidit. Non autem possunt, superstitioso fine, si tibi
persuadeas, cultum religiosum per eas Deo exhiberi, te-
gratiorem in his, quam aliis locis Deo reddi, meritum tibi
aliquid acquirere, pro peccatis ita satisfacere, aut pecu-
liarem gratiam exspectare vel impetrare posse. Nam nobis,
ejebat pius Antonius, ut S. Athanasius in ejus vita refert,*

nulla

nulla proficisciendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet. In omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorum. Et Hieronymus scribit ad Paulinum: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse, laudandum est. De Hierosolymis & de Britannia æqualiter patet aula cœlestis: Regnum enim Dei inter vos est. Raupp. L. de Morte p. 30.

*Animæ separatæ sciunt res hujus mundi, &
non sciunt.*

Animæ hominum a corporibus separatæ sciunt res hujus mundi in generali & confuso, quæque propria experientia edoctæ fuerunt: Et non sciunt in particulari ac distincte, videlicet hujus aut illius angustias, preces, desideria & similia: ad hoc enim opus est omniscientia. Unde & Apologia Aug. Conf. concedit, eas, æque ac Angelos, in genere orare pro Ecclesia militante. Etiam si enim (ut scribit Parens meus in System. Theol. L. de Invocat. p. 635.) membra Ecclesiæ militantis singulatim non sint cognita sandis in altera vita, cum tamen nōrint in genere, Ecclesiam, hujus mundi adversitatibus & periculis expositam esse, & charitas eorum non sit extinda, sed magis aucta, non dubitandum est temere, quin sub generali conceptu, prout unum cum illis corpus Christi constitutum, pro nobis in sua beatitudine apud Deum intercedant. Posit admitti etiam, (addit idem) in particuli beatos pro aliquibus orare: puta, Parentes pro liberis, conjuges pro conjugibus, fratres pro fratribus & sororibus, amicos pro amicis: nec enim charitas, qua jundi in vicem in hoc ævo fuerant specialius, id aliter videtur permettere, quam ut relictorum post se incolumitatem DEO specialius commendent.

Resur-

) 24 ()

*Resurre^ctio mortuorum dependet, & non dependet
a merito Christi.*

*Resurre^ctio mortuorum vel significat specialem, seu glori-
osam fidelium resurrectionem, vel generalem omniumq;
hominum resurrectionem. Priore modo si illa sumitur,
dicendum est, eam dependere a merito Christi, tanquam causa
impulsiva externa, idque in primis 1. ad Cor. XV. probatur
IV. argumentis, videlicet 1. a Communione fidelium cum
Christo, tanquam membrorum cum suo capite. 2. a pari
collatione Adami & Christi, tanquam stirpium contraria-
rum, quarum utraque suis ramis, hoc est, posteris, com-
municat id, quod in se continet. 3. ab amplitudine & per-
fectione regni Christi, quæ plane requirit, ut Christus o-
mnes tandem inimicos suos, inter quos postremum locum
mors obtinet, sibi subjectos habeat, & proinde mortem ex
ex omnibus suis membris quam longissime profliget. 4. a
consequente absurdo, videlicet Epicurismo: qui sine du-
bio consequetur, ubi resurrectionis spes tollitur. Postiore
autem modo sumta, non dependet a merito Christi, sed potius
a finali impiorum malitia & impenitentia, propter quam
manifestare eos vult Deus coram tribunali Christi, ut quæ mala
fecerunt, in corpore suo reportent, 2. ad Corinth.*

V. 10. Gerh. L. de Resurr. Mort.

§. 55.



XI, A.

XI, A.

